

metaphysica satis firmiter tenebant, neque sufficienter periti in vero dogmate intelligendo erant. — Idem tentavit *Georgius Hermes*, 1775 — 1831, docens Bonnae, Kantianus; sed reprobatus ab Ecclesia fuit.

2° Melius quidem quam praecedentes, rectae orthodoxiae conformes fuerunt *Fridericus Guillelmus Schlegel*, 1772—1829; — *Joseph Goerres*, 1776—1847; — *Hieronymus Windischmann*, 1775—1839; — multum tamen abest ut clare theoretice patefecerint veritatem; at recte ad catholicorum traditionem redeundum esse indicarunt.

3° *Franciscus Baader*, Monachiensis, 1765—1841, studuit medicinae et mechanicae, dein philosophiam, docuit Monachii. Vir boni ingenii, sed Kantianismo imbutus, postea Scholasticos legit sed perperam intellexit, Jacobo Boehme multum affectus, ad mysticum gnosticisum aliquem rationalisticum pervenit. — Aliquamdiu apud Germanos catholicos celebratus, mox tamen universim derelictus, qui totam Ecclesiae constitutionem subvertens, Pontifici supremo omnem auctoritatem abnegabat.

4° *Antonius Günther*, Lindenaviensis, 1785—1861, sacerdos Vindobonae vixit. Idealismo Fichte et Hegel abductus, Cartesio affectus, systema suum ex hoc primo principio orditur: « omne ens essentialiter ad conscientiam sui tendere. » — Ex divina conscientia directe Trinitatem, et indirecte, per contrapositionem Trinitatis, mundum evolvit modo plane rationalistico; — circa hominem dualismum adstruit; — in religione conceptum peccati originalis et redemptionis omnino adulterat. — Ab Ecclesia damnatus se submit, cum plerisque suis asseclis.

5° Monachiensis Schola fere posset dici series illa Bavarorum catholicorum qui, post Baader et Günther, similia tentamina conciliationum adiverunt, systemata varia magno plausu protulerunt, mox oblivioni merita danda. — Inter eos emicuerunt: a) *Martinus Deutinger*, 1815—1864, sacerdos, docuit Frisingae, Dillingae, Monachii; — b) *Joannes Nepom. Oischinger*, qui etiam S<sup>i</sup> Thomae « errores contra fidem christianam » Sanctae Sedi damnandos denuntiavit!!! — c) *Jacobus Frohschammer*, natus 1821, qui fuit ab Ecclesia reprobatus, eique rebellis. — d) *Guillelmus Rosenkranz*, 1821 — 1874, indigestae confusionis et obscuritatis, tum quoad res tum quoad modum dicendi; aliquot suos coevos in admirationem rapuit. Pantheismum vitare se frustra contendit.

6° Ad scholasticam doctrinam resumendam animos praeparavit: *Joannes Moehler*, 1795 — 1838, ad auctoritatem antiquam positivis argumentis remittens; theologiam quidem potius curans, sed revera in philosophiam pariter influens. — Idem fere dicendum de *Drey*, 1777—1853; — *Staudenmaier*, 1800—1856; — *Joanne Kuhn*, nato 1806, qui etsi circa valorem rationis ad Dei existentiam probandam, et circa naturam gratiae, fideique supernaturalis erravit, multum tamen ac valide contulit ad antiquam doctrinam restaurandam.

7° Scholasticam philosophiam (et theologiam) propugnauerunt et notam

fecerunt: a) *Jacobus Clemens*, 1811—1862, docens Bonnae, dein Monasterii; — b) *Joseph Kleutgen*, Dortmundanus, 1811—1883, Jesuita Romae vivens exul, germanice scribens « de theologia antiqua » et « de philosophia antiqua; » — c) paulatim plures: *Scheeben*, *Plassmann*, *Stoeckl*, *Morgott*, *Schneid*, etc...

## § 2. IN GALLIA, BELGIO, ANGLIA.

1° Post Gallicas perturbationes diruta erant omnia, sed catholicae gentis non potuit non mox reviviscere tendentia, ut catholica dogmata defenderet atque iterum exponeret clarius. Longus tamen labor futurus ideo erat, quia per magnam praecedentis saeculi partem, scholasticam traditionem fere nemo amplius retinuerat; omnia nimirum risui impiorum cesserant. — Reviviscentiam illam praeparavit poeta *Chateaubriand*, 1769—1848; — fortius et clarius indicaverat *Joseph de Maistre*, Camberiensis Sabaudus, 1754—1821, salutem societatum humanarum ostendens esse ex christianis principiis applicandis unice sperandam, providentiamque divinam circa res humanas defendens.

2° *Ludovicus Gabriel de Bonald*, Monnanus, 1754—1840, praefectus suae urbis, sub revolutione emigrans exul, sub imperio et restaurato regno consiliarius rerum scholarium, et deputatus ad coetus legislativos. — Fidem christianam extollit, sed ita exaggerat ut, contra impiorum negationes in aliud extremum prolapsus, rationem prorsus deprimat, revelationis fidem tamquam unicum fontem omnis cognitionis metaphysicae, moralis et religiosae proponat; ex quo per traditionem omnes nos hauriamus cognitiones nostras cunctas.

3° *Felicitas La Mennais*, Macloviensis, 1780—1854; sacerdos, traditionalismum praecedentis accepit ardentem defendit, traditionem divinam tamquam unicum veritatis criterium ultimum proponit; — ab Ecclesia damnatus, in liberalismum et rebellionem prolapsus est.

4° *Ludovicus Eugenius Bautain*, Parisiensis, 1795—1867, sacerdos, eundem traditionalismum defendit, probationem existentiae Dei concludit nullam esse posse praeterquam ex ipsius Dei revelantis fide et traditione; — damnatus laudabiliter se submit.

5° Traditionalismo plurimi in Gallia et in Belgio adhaeserunt; — in Angliam vix irrepsisse videtur, nullum certe influxum habuit; — eum alii mitigatum etiam post condemnationes retineri posse censuerunt, duce *Augusto Bonnetty*, 1798—1879; — donec etiam huic mitigato systemati condemnationem Ecclesia opposuit, illudque extinxit.

6° Aliis interim, christianam scientiam aedificare cupientibus, ad Ontologismum *Nicolai Malebranche* reverti praeplacebat. Inter quos eminuerunt: a) *Henricus Maret*, 1805—1883, episcopus Surenensis i. p. i., docuit Parisiis; — b) *Gratry*, Insulanus, 1805—1872, sacerdos oratoriensis congregationis;

— *c) Casimirus Ubaghs*, docuit Lovanii; — *Franciscus Rothenflüe*, 1805—1869, Jesuita, docuit Friburgi.

7° Paulo mitigatum ontologismum defenderunt alii donec, post disputationes satis acres, omnes se condemnationi ecclesiasticae intervenienti submitterent.

8° In Anglia vix aliquis motus philosophicus hoc saeculo inter catholicos animadvertitur. — Oratorienses sacerdotes aliqui fuere qui suo Rosminio adhaerent.

9° Dum ceteris fere omnibus in Gallia arridebant traditionalismus et ontologismus, primi scholasticam doctrinam antiquam proponere ac defendere aggressi sunt Jesuitae, *Rozaven*, Corisopitensis, 1772—1851, et *Chastel*, quamquam initio in deserto clamabant.

10° Sed mox, quantum deserebantur illae novitates, tantum restaurabatur antiqua veritas. Hoc confecerunt in Belgio: *Dupont*; *Albertus Lepidi*, Neapolitanus, dominicanus; *Mercier*; docentes Lovanii; — in Gallia vero: *M. Rosset*, docens Camberii, *Grandclaude*, et alii plures; — item in Anglia nonnulli, rariores tamen. Nominari merentur *Mivart* physicus et *Harper* Jesuita. — Ad id idem plurimum conferunt Universitates catholicae: Lovaniensis, aliae similes plures in Gallia incoepatae, scholaeque in Hibernia et Anglia fundatae ab Episcopis.

11° Similis motus aliquis catholicorum ad scholasticam apud Batavos animadverti potest, lente quidem sed jugiter crescens, impellentibus imprimis Dominicanis et Jesuitis.

12° Quaestionum socialium solutionem veram, catholicam, contra recentes turbatores et liberales, scriptis suis late sparsit *Fridericus Leplay*, Honflorenciensis, 1806—1882, ejusque discipuli, *Claudio Jannet*, aliique mox bene multi. Eorum methodus ea est, ut ex quamplurimis variorum populorum et familiarum observationibus attentis, quoad socialem organisationem, mores, bonas et malas fortunas, etc. inductionem conficiant, optima quaeque desideranda exponant. Ipsi sibi nomen assumpserunt: *scholam pacis socialis*.

### § 3. IN HISPANIA.

1° Per praecedentia duo saecula, incorrupta apud Hispanos vixerat traditio scholastica; vix aliquid recentiorum errorum introductum fuerat. Etiam post bellicas clades nostri ineuntis saeculi, cum gallicae revolutionis perversitates irrepere, ac postea Krausianus panentheismus spargi coepissent, Universitates tamen scholasticae antiquitati adhaerebant; donec ipsae dirutae vel impeditae non fuerunt. — At postea periculo jam magis ingruenti obstitit: *a) Jacobus Balmes*, Vichianus, 1810—1848, sacerdos, praeclaris suis scriptis philosophiam exponens scholasticam si pauca minuta excipias; — *b) Donoso Cortes*, Evallensis, 1809—1851, politicus potius quam philosophus scriptor, multum contulit liberalismum aliosque modernos errores impugnans, christiana principia proponens.

2° Scholasticam philosophiam post illos alii bene multi resumpserunt ac promoverunt. Praesertim eminent *a) Joannes Emmanuel Orti y Lara*, multis praelucidis suis scriptis; — *b) Michael Sanchez*; — *c) Dominicani: Marc. Puig; Fr. Xarrie; Zephyrinus Gonzalez*, postea episcopus, qui prae ceteris philosophiae scholasticae honorem et studium restauravit atque indefesso labore ampliavit; — *d) Jesuitae: Cuevas; Joseph Mendive*.

### § 4. IN ITALIA.

1° Ineunte nostro saeculo, post turbationes sedatas, exorta est tendentia politica, brevi satis vulgata, ut omnes Italicae gentes in unitatem redigerentur ab aliis nationibus independentem. Eadem tendentia mox in rebus philosophicis quoque manifestata est; contra invadentes nempe doctrinas germanicas et gallicas quaerebant propriam italicam philosophiam, quae non quidem catholicam traditionem scholasticam resumeret, nec tamen nimis a religioso dogmate horreret.

2° Horum unus ex prioribus fuit *Paschalis Galuppi* (cfr. supra) eclecticus Kantiana nonnulla, sensualistica plura, christiana multa, in unum conflare conans; Neapoli docuit et scripsit.

3° *Antonius Rosmini Serbati*, Roveredius, 1797—1855, Congregationis sacerdotum caritatis fundator, pius sacerdos, sed novitatum et italicae unitatis amator. — Ejus systema praecipue nititur in modo ejus explicandi originem idearum per intuitum innatum entis infiniti (cfr. psychol. prop. 35); atque mox in scholas multas etiam ecclesiasticas penetravit, indeque inter clericos plurimos ad nostros fere dies perstitit. Plures ejus errores, tum philosophicos, quorum nonnulli cum ontologistis communes, tum theologicos, damnavit Ecclesia.

4° *Vincentius Gioberti*, Taurinensis, 1801—1852, sacerdos liberalismo plane imbutus, docuit Taurini, mox autem Bruxellis, exul; post 1848 Taurini minister regius, legislativi coetus praesidens, «Juvenis Italiae» fautor et caput; tandem Parisiis privatam vitam duxit. — In metaphysica ontologismum Malebranche paucis modificatum defendit et evoluit (cfr. psychol. prop. 42); — extremas tamen logicas consequentias pantheisticas neque ipse neque ejus discipuli admittere voluerunt. — Ejus metaphysicae doctrinae multo minus quam Rosminii doctrinae, quibus tamen satis affines sunt, praevaluerunt, at magnopere celebrata ac propagata ejus politica placita fuerunt.

5° Traditionalismi gallici semina in Italia spargere frustra tentavit Ventura, sacerdos theatinus. Paucos asseclas nactus est, magis in Gallia quam in ipsa Italia notus.

6° Postquam igitur revolutionis unitate Italica constituta, 1860 et sqq., in universitatibus publicis docebatur Germanica philosophia, partim etiam

Gallica, obstitit undique, ardentem legio tum Rosminianorum, cum *Josepho Allievo* Mediolani docente, tum Giobertinorum nonnullorum.

7° Scholasticam philosophiam antiquam restauraverunt, erroribusque omnibus supra dictis opposuerunt strenui viri catholici, quos sibi mox omnibus in aliis regionibus catholici magistros assumpserunt, ita ut possit fere dici, totam scholasticam renovationem nostri saeculi ab istis exordium primum sumpsisse. Horum primi et praecipui fuerunt :

a) *Matthaeus Liberatore*, Salernius, natus 1810, Jesuita, docuit Neapoli et Romae; — is plurimis scriptis per totam suam vitam S<sup>i</sup> Thomae doctrinam proposuit et vindicavit, eamque quasi resuscitavit.

b) *Aloisius Taparelli*, Taurinensis, 1793—1862, Jesuita, docuit Panormi, scripsit Romae; Scholasticam philosophiam moralem et socialem imprimis instauravit.

c) *Cajetanus Sanseverino*, Neapolitanus, sacerdos canonicus, docuit Neapoli, vir mirae eruditionis.

d) *Nuntius Signoriello*, et *Salvator Talamo*, praecedentis discipuli.

e) *Salvator Tongiorgi* 1820—1865; et *Dominicus Palmieri*, Romanus, Jesuitae, Romae docuerunt, clare et docte scholasticam exponunt, sed in nonnullis liberius ad recentiores atomistas et dynamistas discedunt.

f) *Roselli*; et *Zigliara*, Dominicani, strenue Thomismum vindicant. Ad quos multum accedunt : *di Giorgi*; *Battaglioni*; et *Joannes Maria Cornoldi*, Jesuita.

g) Etiam inter medicos catholicos orta est tendentia contra materialismum recentem reagens, scholasticae philosophiae arcte adhaerens. Hujus promotor fuit : *Travaglioni* Neapoli Academiam medico-philosophicam fundans; quem bene multi sequuntur juvenes rerum physicarum, mechanicarum, medicarum studiosi.

#### § 5. SUB LEONE XIII.

In tanta opinionum atque errorum conflictu et confusione, effrenaque illa libertate quam sibi quisque tribuere gloriabatur, novitates quasque pervulgandi, fieri non poterat ut veritati suus locus cum aliqua securitate mentium et concordia animorum daretur; neque etiam inter catholicos unio illa virium existeret qua perversitatibus undique ingruentibus resistere efficaciter possent. — Hoc intellexit papa Leo XIII; atque a primis sui Pontificatus initiis haec duo quasi axiomata sibi prae oculis tenuit : a) vires unitas esse fortiores, dissipatas vero elevari, b) veritatem veritati contradicere non posse, nec proinde veram scientiam qualemcumque cum vera scientia religiosa et metaphysica posse in oppositionem venire. — Itaque suae missionis aestimavit esse, a) ut omnes vires catholicas in unionem cogeret contra impietates hodiernas omnimodas, sublatis omnibus internis mentium et cordium dissidiis; — b) ut quam solam pervidebat philosophiam cum revelatis dogmatibus perfecte conciliabilem, eam, nempe scholasticam S<sup>i</sup> Thomae

sapientiam, apud omnes curaret admitti vindicarique; — c) ut omnibus scientiis humanis favens, eas omnes et promoveret propagaretque et ad proprios limites veramque certitudinem reduceret, et in synthesim conformitatis cum religione catholica perficeret; — d) ut per haec media pacem et prosperitatem mundo restitueret. quae scissionibus saeculi XVI, revolutione saeculi XVIII, effrenis licentiis, cupiditatibus, oppressionibus nostri saeculi, amissa fuerant. Ista ubique prosequens :

1° Encyclica «Aeterni Patris» toti Ecclesiae commendavit philosophiae scholasticae studium et propagationem.

2° Dissidia dissentionesque inter catholicos scriptores compescuit, quae tum voce tum scriptis libris vel periodicis libellis et foliis passim existebant; eas etiam quae praetextu purioris veritatis in rebus socialibus oeconomicisque defendendae tenebantur.

3° Academiam Romanam Pontificiam Philosophiae constituit, ex decem Romanis, decem Italis, et decem alienigenis philosophis compositam, quae Scholasticae defensionem et propagationem promoveret.

4° Editionem novam aucturatum operum S<sup>i</sup> Thomae et S<sup>i</sup> Bonaventurae curari jussit, ad idque specialem commissionem instituit.

5° Ipse interim propriis scriptis et colloquiis, opportune importune, quoties occasio dabatur, studium verae philosophiae christianae laudavit commendavitque.

6° Universitatibus catholicis quae tum existebant, Romanae, Lovaniensi, Insulanae, Parisinae, Pictaviensi, multa benignitatis signa dedit, cathedras philosophiae scholasticae fundandas vel ampliandas curavit. — Alias universitates catholicas novas erigendas, in America, in Germania, in Hibernia, in Syria, in Indiis Orientalibus, quantum fieri posset, concupiscere se manifestavit, patrocinio suo promoturum se promisit.

7° Ultima errorum vestigia inter Catholicos existentia proscrispsit, propositiones ex Rosminii libris decerptas damnavit.

8° Variis epistolis et encyclicis studia scientiarum humanarum variarum commendavit, proprio motu illis patrocinatus est omnique medio vias aperuit; aditum Vaticanarum bibliothecarum permisit; omnes qui ad scientiarum progressum collaborare possent, v. c. in missionibus longinquis, provocavit.

9° Ipse aliis encyclicis litteris praecipuas doctrinas christianas, et sociales, contra recentiores errores defendendas, summa sua auctoritate et mirabili luciditate exposuit, plane ad mentem antiquae scholasticae traditionis.

His igitur Leo XIII effecit, ut undique jam consurgant conatus illud perficendi quod ipse intendit; neque aperte quisquam inter catholicos contra niti vel ab unione omnium discedere videatur. Jamque satis apparet attente consideranti, quomodo ad tenebras discutiendas, erroresque plena veritatis evidentialia dissipandos sit Lumen de Coelo missum.